



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd in idolorum fanis, lege vetuit suas picturas poni. Cap. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

Quod in idolorum fanis, lege vetuit suas picturas poni.

CAP. XVI.

HOc modo cum in tabellis se Deo supplicantem representasset: lege cauit ne ipsius effigies in idolorum templis poneretur: ne ipsa tabella vel minima lineamentorum parte propter vetitorum idolorum errorem, labem aliquam contraheret.

Preces habitae in palatio, & sacrarum scripturarum recitatio. CAP. XVII.

SED his quidem multo magnificentiora contempleri potes, si animaduertas quemadmodum in ipsis regis ecclesiae Dei formam instituerit, populo in ecclesia congregato ipse studiose exordiens. Sumptis enim in manus libris, vel sacrarum literarum contemplatione diligenter animum adhibebat, vel constitutas cum vniuerso ecclesiae coetu preces reddebat.

Dominicum diem & Parasceuae diem colendum esse lege sancitur.

CAP. XVIII.

IDoneum verò precationi tempus salutarem diem dominicum constituebat, quippe qui tum verè præcipuus est, tum haud dubie primus. Iam huius vniuersae aedis custodes diaconi & ministri Deo consecrati, & grauitate vitae omniq; virtute ornati assignabantur. Satellites etiam fidei corporis custodes, beneuolentia erga principem & fide armati, regem ipsum piorum morum præceptorem sequebantur: cum ipsi perinde salutarem & dominicum diem venerarentur & preces ab imperatore descriptas eodem die persoluerent. Hoc idem vt facerent, omnibus persuasit beatus Princeps: quasi huc preces suas retulisset vt sensim & pedetentim omnes mortales ad Dei cultum traduceret. Quapropter statuit vt cuncti Romano imperio parentes, diebus de Seruatoris nomine nuncupatis ab omni opere feriarentur: vt etiam dies, qui sabbatum antecederent, venerarentur: ob memoriam vt mihi videtur earum rerum, quae iis diebus à communi omnium nostrum Seruatore gerebantur.

O o 5

Quem-